Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25879
Copyright: Admont, Benediktinerstift

et suaue domini iugum suscipere uirtutum suarum mirabilibus persuaderet. Nam cum sacerdos atque confessor ad ciuitatem biterrensem tunc temporis aduenisset. et que adhuc nota non erat ecclesiam fabricasset. ac diuina sacerdotio functus altaria consecrasset. primum cathedram sedit. sancta ministeria ordinauit. dei populum congregauit. Neque in nullis ciuitatibus aut earum territoriis tanta monasteria ecclesie aut oratoria extitisse creduntur quanta in eadem ciuitate: que cum magnitudine parua sit grandis est religione ac probitate et fide. Cuius cum magisterio decresceret infidelitas. et cresceret fides. Conuersa narbonensium superstitio. que adhuc diuisa templorum capitolii ambitione pollebat. legatione mittit. religionem desiderat habere ecclesiam concupiscit. Itaque ordinato in locum suum sancto Afrodisio episcopo ad urbem predictam uenit. ac primum ante ecclesiam seniorem que nunc est paruulum oratorium consecrat. deinde infra trasatacem fluuium in loco qui uocatur albulas ecclesiam construit. in qua hodie requiescit. Cui cum duo diaconi sui ante lectulum eius clanculo calciamenta muliebria posuissent. atque hoc fecissent causa irrisionis. euocatis qui adhuc erant pauci episcopis gallicanis in ecclesia de qualitate facti uoluit iudicari. Et cum per triduum fuisset procrastinata agnitio et die ac nocte in culmine edis ipsius aquila missa diuinitus resideret. neque enim et territa umquam discederet. quin etiam escam coruo deferente susciperet. et ad miraculum aquile et sententiam sacerdotum affatim concurrens turba concresceret. tercia die sanctus papa noster Paulus indicta oratione populo. et consacerdotibus suis. ut manifestaret deus aut eorum adsertiones: aut sue meritum uite. Et dum in oratione ingemisceret. correpti diacones furore lymphatico inter uisibilia tormenta clamabant. factionem se per inuidiam episcopo confingere uoluisse: quia pro continentia eos sepius castigaret. Et cum grauiter heularent non se posse iam sustinere supplicia. tunc rogat sacerdotes et plebem ut dominum pro eorum absolutione rogarent. Sacerdotio se indignum dicebat. si hii qui pro sua innocentia fuissent arrepti non fuissent suis precibus absoluti. Iam uniuersa que contra sacerdotem suum molita fuerant confiteri ceperunt. Itaque prouoluti episcopi si qui conuenerant cum uniuersa plebe eidem pedibus rogabant eum ut pro peccatis eorum pro eo quod deturbauerant interueniret apud dominicam pietatem. Quibus peractis aquila orientem petens discessit a culmine. O [?] mirificum documentum. quod palam confessionis et sacerdotii coronam meruit. ut a diabolo per suos temptaretur ministros. Nec mirum si insidiaretur famulo. qui domino temptauit inludere: sed per nequitiam sua cum quos circumuenerat in talia que scripta sunt tormenta debitas penas. ut quod confessori et sacerdoti intulerat. ipse potius pateretur. Hec obsequium festa miracula seniorum relatione et fide in posterum missa non solum due ciuitates quibus in sacerdotio prefuit. sed et urbs romana ubi passus est immo uniuersus orbis. in quem uirtutum suarum fama peruenit. huius diei leticiam sancta deuotione concelebret ut quisque tanti uiri commemorationem fecerit. meritis eidem repensans. ipse apud summam domini maiestatem suis orationibus interuenire dignetur. Prestante domino nostro ihesu christo qui uiuit et regnat cum patre et spiritu sancto in secula seculorum. Amen.

Incipit passio sancti Apollonii martyris.

TRADUNT Seniores fuisse quendam persecutionis tempore monachum nomine apollonium. Qui cum uitam magnificam egisset inter fratres. etiam diaconus ordinatus est. Tempore quo persecutionis erat ei studium singulos quosque circuire fratres. et cohortari illos ad martyrium. Cumque fuisset etiam ipse deprehensus et in carcerem detrusus. gentilium plurimi tamquam insultantes ueniebant ad eum. et uerbis blasfemis et impiis confutabant. Inter quos fuit quidam filemon nomine choraula famosissimus et omni populo amabilis. Qui cum multis eum fatigaret iniuriis impium et scelestum et seductorem uocans multorumque mortalium deceptorem: dignumque esse ab omnibus odio haberi. cum hec et multa alia aduersum eum grauiora loqueretur. Respondit ei apollonius dicens. Misereatur tui deus fili. et nichil tibi horum que locutus es reputet ad peccatum. Hec cum audisset filemon corde conpunctus est uerumque uerborum super humanum morem in sua mente sensit. ut tantum christianum se repente fateretur. et inde statim peruolat ad tribunal iudicis. atque in conspectu tocius populi proclamans iniuste inquit agis o iudex. uiros religiosos et deo amabiles puniens. Nichil enim christiani uel male faciunt uel docent. At ille hec audiens primo quidem putabat ut pute loci illius hominem ioci aliquid proponere: Sed cum uidisset hec eum serio prosequentem et cum omni constantia asserentem: Insanis inquit o filemon et mente es captus subito. At ille: ego inquid non insanio. sed tu iniustissimus atque insanissimus iudex es. qui tot iustos iniuste perimis uiros. Sed ego enim christianus sum. quod est genus optimum. Tum ille populo coram cepit eum primo plurimis blandimentis reuocare uelle inde quod eum nouerat. Sed ubi inmobilem uidit. omnia intendit in eum genera tormentorum. Cognito autem quod ex uerbis apollonii hec ei nata fuit permutatio. correptum etiam